

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Augustini in euangelium secundum Iohannem sermones
CXXIII - Cod. Aug. perg. 47**

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Sermo XII

[urn:nbn:de:bsz:31-64194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-64194)

Heretici uirtant suos martyres:

TRACT

donatq hereti
q qd uita
fimerit :

& tamen quas patiuntur proferunt nobis nescio quos in persecutione
suis martyres; ecce marculus de p[er]tra praecipitatus est, ecce donatus бага
gentis in puteum missus est. Et quando potestates romane talia supplicia decre
uerunt ut praecipitarentur homines. quid autem respondent nostri quid sit
gestum. nescio tamen quid tradunt nri quia ipse praecipitauerunt & potes
tates infamauerunt. Recordemur consuetudinem potestatum romanarum
& uideamus cui credendum sit. Dicunt nostri illos se praecipitasse si non sunt
ipsi discipuli ipsorum qui se modo de saxis nullo persequente praecipitant.
non credamus; quid mirum si fecerunt illi quod solent. Nam potestates romane
numquam talibus supplicis use sunt; non enim non poterant occidere aperte.
sed illi qui se mortuos coluoluerunt. famosiorem mortem non inuenerunt;
postremo quicquid illud est non noui & si passa es op[er]is donati corporalem
afflictionem ab ecclesia catholica. a sarra passa est agar. redi ad dominam tuam;
locus quidem necessarius aliquanto diutius nos tenuit ut totum textu euange
licae lectionis exponere minime ualeremus; fr[ater] sufficiat interim caritati ue
strae haec quae dicta sunt. dicendo alia excludantur de cordibus uestris; haec
tenete. talia dicite flammantes illuc procedite. accendite frigidos. **EXPLICIT
TRACT XI. INCIPIT XII. AB EO QUOD SCRIPTUM EST. QUOD NATUM
EST DE CARNE CARO EST ET QUOD NATUM EST EX SP[iritu] SP[iritus] EST. USQ[ue]
AD ID UBIAIT. OMNIS QUI AGIT MALA ODIIT LUCEM. ET NON UENIT
AD LUCEM UT NON ARGUANTUR OPERA EIUS. QUI AUTEM FACIT UERI
TATEM UENIT AD LUCEM UT MANIFESTENTUR EIUS OPERA QUIA
IN DO[S] SUNT FACTA.**

Ex eo quod hester nocte intentam fecimus caritatem uestram intellegi
mus uos alacrius & numerosius conuenisse. sed interim lectioni euan
gelicae ex ordine sermonem debitam reddamus si placet. Deinde audiat
caritas uestra de pace ecclesiae uel quid egerimus. uel quid adhuc agendum spe
remus; nunc ergo tota intentio cordis ad euangelium feratur. nemo aliunde
cogitet; si enim qui totus adest uix capit. qui se per cogitationes diuersas diui
dit. nonne & quod coeperat fundit. meminit autem caritas uestra dominico
praesertim quantum d[omi]n[us] adiuuante dignatus est. differuisse nos de spiritali re
generatione. quam lectionem uobis iterum legi fecimus. ut quae tunc non dic
ta sunt. in xpi nomine adiuuantibus orationibus uestris impleamus. Regeneratio
spiritalis una est. sicut generatio carnalis una est; & quod nichodemus d[omi]no ait.
uerum dixit. quia non potest homo cum sit senex. redire rursus in uterum
matris suae & nasci; ille quidem dixit quia homo cum sit senex. hoc non potest.
quasi & si infans esset possit; omnino enim non potest siue recens ab utero.

cap 7.

siue innocua iam aetate redite rursus in materna uiscera & nasci, sed sicut ad na-
 tiuitatem carnalem ualent muliebria uiscera ad semel pariendam; sic ad nati-
 uitatem spiritalem ualent uiscera ecclesiae ut semel quisq; baptizetur, propter
 ea nequis forte dicat. sed iste inheresinatus est & iste in scismate natus est.
 amputata sunt omnia. si meministis quae uobis disputata sunt de tribus patri-
 bus nostris quorum dñs dici uoluit. non quia solierant, sed quia in solis explēa
 est integritas significandi populi futuri. in uenimus tamen natum de ancilla
 ex hereditate. natum de libera heredem. Rursum inuenimus natum de libera
 ex hereditate. natum de ancilla heredem; natus de ancilla ex hereditate ismahel.
 natus de libera heres isaac. natus de libera ex hereditate esau. nati de ancillis heredes
 filii iacob; in illis itaq; tribus patribus omnis futuri populi figura perfecta est;
 nec in merito dñs inquit. ego sum dñs abraham & dñs isaac & dñs iacob. hoc mihi in-
 quit nomen est in aeternum; magis meminerimus quid promissum sit ipsi
 abraham. hoc enim promissum est isaac. hoc promissum est iacob; quid inueni-
 mus. in semine tuo benedicentur omnes gentes; credidit tunc unus quod non
 dum uidebat. uident homines & excecantur. complētum est in gentibus quod
 promissum est uni. & separantur a communione gentium qui & quod implētū
 est uideri nolunt. sed quid illis prodest, quia uideri nolunt. uident. uelint
 nolunt. aperta ueritas & clausos oculos fert. Responsum est nichodemo quia
 ex eis erat qui crediderant in ihm & ipse ih̄s non se credebat eis; quibusdam enī
 non se credebat cum iam illum credidissent. sic habes scriptum; multi credi-
 derunt in nomine eius uidentes signa quae faciebat. ipse autem ih̄s non crede-
 bat semetipsum illis. Non enim opus habebat ut quisquam testimonium pertu-
 beret de homine. ipse enim sciebat quid esset in homine; ecce iam illi credebat
 in ihm & ipse ih̄s non se credebat eis; quare? quia nondum erant renati ex
 aqua & spū; unde hortati sumus & hortamur fr̄s nostros cathecuminos. Si
 enim interrogas eos. iam crediderunt in ihm sed quia nondū carnem eius &
 sanguinem accipiunt. nondum se illis credidit ih̄s; quid faciant. ut se illis cre-
 dat ih̄s. renascantur ex aqua & spū. proferat ecclesia quod parit; concep-
 ta sunt. edantur in lucem. habent ubera quibus nutriantur. non timeant ne nati
 suffocentur. ab uberibus maternis non recedant; nullus potest homo redire
 in matris uiscera & iterum nasci. sed de ancilla nescio quis natus est; nūquid
 tunc qui nati sunt de ancillis. redierunt in uterum liberarum. ut denuo nasce-
 rentur. semen abraham & in ismahel, & ut possit abraham facere filium de
 ancilla. uxor auctor fuit; natus est ex semine uiri & non utero sed solo placu-
 to uxoris; Numquid quia de ancilla. ideo ex hereditate. si propterea ex here-
 ditate quia de ancilla natus. nulli ancillarum filii admitterentur ad hereditate.

Summa uerbi
 cathari sine.

filii iacob admissi sunt ad hereditatem, israhel autem non quia ex ancilla natus
 ex hereditate, sed quia superbus matri, superbus in filium matris; mater enim eius
 magis sarra quam agar; illius uterus accommodatus, illius uoluntas accessit; non fa-
 ceret abraham quod sarra nollit; magis ergo ille filius sarrae, sed quia superbus in
 fratrem, & superbus ludendo quia deludendo. quid ait sarra. eice ancillam &
 filium eius. non enim heres erit filius ancillae cum filio meo isaac, non ergo illū
 uiscera ancillae eiecerunt foras, sed ceruix seruis, & si liber superbus sit, seruus
 est, & quod peius est, malae dominae ipsius superbiae, Itaq. fr̄i mei respondeat
 homini. non posse rursus nasci hominem, respondeat securi non posse rursus
 nasci hominem; quicquid iterum fit, inlusio est, quicquid iterum fit, lusus est;
 israhel ludit, foras mittatur; animaduertat eos sarra ludentes ait scriptura, & dixit
 abraham, eice ancillam & filium eius; displicuit sarrae lusus puerorum; aliquid
 nouum uidit pueros ludere, nonne optant hoc quae filios habent, uident ludentes
 filios suos, uidit illa & improbauit, nescio quid uidit in lusu, in lusionem uidit;
 in illo lusu animaduertit seruis superbia, displicuit illi, eiecit foras; nati de an-
 cillis improbi mittuntur foras; & natus de libera mittatur foras esau; nemo ergo
 praesumat, quia de bonis nascitur; nemo praesumat, quia per sc̄os baptizatur;
 qui per sc̄os baptizatur, adhuc caueat ne non sit iacob sed esau; hoc ergo fr̄i dixe-
 rim, melius est ab hominibus sua quaerentibus & mundum diligentibus quod
 significat nomen ancillae, baptizari, & spiritaliter quaerere hereditatem xp̄i,
 ut sit tamquam filius iacob de ancilla quam baptizari per sc̄os & superbiere, ut
 sit esau foras mittendus quamuis natus ex libera, haec fr̄i tenete, non uos pal-
 pamus, nulla spes uestra in nobis sit, nec nobis blandimur, nec uobis; unusquisq;
 suam sarcinam portat; nostrum est dicere nemale iudicemur; uestrum est
 audire & corde audite ne exigatur quod damus, immo quando exigitur, lucrū
 inueniatur, non d̄rimentum; Dicit dñs nichodemo & exponit ei, Amen am̄
 dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & sp̄u, non potest introire in regnū d̄i;
 Tu inquit carnalem generationem intellegis cum dicit, numquid potest homo
 redire in uiscera matris suae, ex aqua & sp̄u oportet ut nascamur propter reg-
 num d̄i, si propter hereditatem patris hominis temporalem nascitur, nasci-
 tur ex uisceribus matris carnalis, si propter hereditatem patris d̄i sempiternam,
 nascitur ex uisceribus ecclesiae; generat per uxorem filium pater mo-
 rturus successorum, generat d̄s de ecclesia filios non successuros sed secū-
 mansuros, & sequitur, Quod natum est de carne, caro est, & quod natum est
 de sp̄u, sp̄s est; spiritaliter ergo nascimur & in sp̄u nascimur, uerbo & sacra-
 mento ad est sp̄s ut nascamur, sp̄s inuisibiliter ad est unde nasceris, quia
 & tu inuisibiliter nasceris; sequitur enim & dicit, non mireris quia dixi tibi

Ad hereditatem ad
 mittuntur filii iacob.

oportet uos nasci denuo, sp̄s ubi uult spirat & uocem eius audis. & nescis unde
 uenit & quo uadit; nemo uidet sp̄m. & quomodo audimus uocem sp̄s. sonat
 psalmus, uox est sp̄s. sonat euangelium, uox est sp̄s. sonat sermo diuinus, uox
 est sp̄s; uocem eius audis & nescis unde ueniat & quo uadat; sed si naceris & tu
 de sp̄u. hoc eris ut ille; qui non est natus adhuc de sp̄u. non sciat de te unde
 uenias & quo eas; hoc enim ait sequutus. Sic est & omnis qui natus est ex sp̄u.
 Respondit nichodemus & dixit ei; quomodo possunt haec fieri. & reuera carna
 liter non intellegebat. in illo fiebat quod dixerat dñs. uocem sp̄s audiebat. & nesci
 ebat unde uenerat. & quo ibat. Respondit ih̄s & dixit ei; tu es magister in israhel
 & haec ignoras. O fr̄s quid putamus dñm huic magistro iudaeorum quasi in
 sultate uoluisse. nouerat dñs quid agebat. uolebat illum nasci ex sp̄u; nemo ex sp̄u
 nascitur nisi humilis fuerit. quia ipsa humilitas facit nos nasci de sp̄u. quia prope
 est dñs obtortas corde; ille magisterio inflatus erat. & alicuius momenti sibi esse
 uidebatur. quia doctor erat iudaeorum; Deponit ei superbiam. ut possit nasci de
 sp̄u; insultat tamquam indocto. non quia superior uult uideri dñs; quid magnū
 dñs ad hominem. ueritas ad mendacium. maior xp̄s quam nichodemus dici debet.
 dici potest. cogitandum est. si diceretur maior xp̄s quam angeli. idendū erat;
 incomparabiliter enim maior omni creatura. per quem facta est omnis creatura;
 sed exigit superbiam hominis; tu es magister in israhel & haec ignoras. tāquā
 dicens; ecce nihil nos ti princeps superbus. nascere ex sp̄u; si enim natus fueris
 ex sp̄u. uias dī tenebis ut humilitatem xp̄i sequaris; si enim altus est super om
 nes angelos. quia cum in forma dī esset. non rapinam arbitratus est esse aequa
 lis dō. sed semetipsum ex inaniuit formam serui accipiens. in similitudinem ho
 minum factus & habitu inuentus ut homo. humiliavit semetipsum factus oboe
 diens usq. ad mortem; & ne mortis genus tibi aliquid placeat. mortem autem
 crucis; pendebat & insultabatur ei. De cruce descendere poterat. sed differabat
 ut de sepulchro resurgeret; per tult superbos seruos dñs. medicus aegrotos;
 si hoc ille. quid illi quos oportet nasci ex sp̄u. si hoc ille uerus magister in caelo.
 non hominum tantum sed & angelorum. si enim docti sunt angeli. uerbo dī doc
 ti sunt. si uerbo dī docti sunt. quaerte unde docti sunt. & inuenies in princi
 pio erat uerbum & uerbum erat apud dñm & dñs erat uerbum. Tollitur homini
 ceruix sed aspera & dura. ut sit lenis ceruix ad portandum iugum xp̄i. De quo
 dicitur. iugum meum leue est & sarcina mea leuis; & sequitur; Si terrena dixi
 uobis & non creditis. quomodo si dixerō uobis caelestia credetis. quae terrena
 dixit fr̄s. nisi quis natus fuerit denuo. terrenum est. sp̄s ubi uult spirat. & uo
 cem eius audis & nescis unde uenit & quo eat. terrenum est. si enim de isto
 uento diceret. sicut nonnulli intellexerunt cum quaereretur ab eis quid tēnu

dixerit dñs cum ait. Si terrena dixi uobis & non creditis. quomodo si dixerero caelestia credetis. cum ergo quaereretur a quibusdam quid terrenum dixerit dñs. angustias passi dixerunt. quod ait. Sp̄s ubi uult spirat & uocem eius audis. & nescis unde ueniat & quo eat. De uento istodixit; quid enim nominauit terrenū & loquebatur de generatione spiritali. sequitur ait. Sic ē omnis qui natus est ex sp̄u; Deinde fr̄s quis nostrum non uideat uerbi gratia. austrum euntem a meridie ad aquilonem. aut alium uentum uenientem ab oriente ad occidentem. quomodo ergo nescimus unde ueniat & quo eat. Quid ergo dixit terrenum. quod non credebant homines. an illud quod de templo resuscitando dixerat; corpus enim suum de terra acceperat. & ipsam terram de terreno corpore suscitaturus parabat suscitare. non ei creditum est terram suscitaturus; Si terrestria inquit dixi uobis & non creditis. quomodo si dixerero uobis caelestia credetis. hoc est si non creditis quia templum possum resuscitare deiectum a uobis. quomodo credetis quia per sp̄m possint homines regenerari; & sequitur. Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit filius hominis qui est in caelo; ecce hic erat & in caelo erat; hic erat carne. in caelo erat diuinitate. Immo ubiq. diuinitate; natus de matre. non recedens a patre; Duae natiuitates xp̄i intelleguntur. una diuina. altera humana; una per quam efficeremur. altera per quam reficeremur. ambae mirabiles; illa sine matre. ista sine patre; sed quia de adam corpus acceperat. quia maria de adā. ipsum quoq. corpus suscitaturus erat. Terrenum quiddam dixerat. Soluite templum hoc & in tribus diebus suscitabo illud. caeleste autem quoddam dixit. nisi quis renatus fuerit ex aqua & sp̄u non uidebit regnum dī; hec a fr̄s. Dī uoluit esse filius hominis. & homines uoluit esse filios dī; ipse descendit propter nos. nos ascendamus propter ipsum; Solus enim descendit & ascendit. quia hoc ait. nemo ascendit in caelum. nisi qui de caelo descendit; non ergo ascensuri sunt in caelum. quos facit filios dī. Ascensuri plane; haec nobis promissio est. erunt aequales angelis dī; quomodo ergo nemo ascendit nisi qui descendit. quia unus descendit. unus ascendit. quid de ceteris. quid intellegendum. nisi quia membra eius erunt. ut unus ascendat; propterea sequit. Nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit. filius hominis qui est in caelo; miraris quia & hic erat & in caelo; tales fecit discipulos suos; paulū audi apostolum dicentem; nostra autem conuersatio in caelis est; Si homo paulus apostolus ambulabat in carne in terra. & conuersabatur in caelo. Dī caeli & terrae non poterat esse & in caelo & in terra. Si ergo nemo nisi ille descendit & ascendit. quae spes est ceteris. Ea spes est ceteris. quia ille propterea descendit ut in illo & cum illo unus essent qui per illum ascensuri essent; non dicit &

Si terrena dixit

„

„

seminibus ait apostolus. tamquam in multis sed tamquam in uno & seminituo
 quod est xpi; & fidelibus ait, uos autem xpi. si autem xpi. ergo abrahæ semen
 estis; quod dixit unum. hoc dixit esse omnes nos; ideo in psalmis aliquando plu
 res cantant. ut ostendatur quia de pluribus fit unus. aliquando unus cantat.
 ut ostendatur quid fiat de pluribus; propterea unus sanabatur in illa piscina
 & quisquis alius descendebat non sanabatur; ergo iste unus commendat unita
 tem ecclesiae; uae illis qui oderunt unitatem. & partes sibi faciunt in homini
 bus; audiant illum qui uolebat eos facere unum in uno ad unum; audiant illū
 dicentem; nolite uos facere multos; ego plantaui. appollo rigauit. sed dñs in
 crementum dedit. sed neq. qui plantat est aliquid. neq. qui rigat. sed qui in
 crementum dat dñs. Illi dicebant. ego sum pauli. ego appollo. ego cepha; & ille;
 diuisus est xpi. in uno estote. unum estote. unus estote; nemo ascendit in celu
 nisi qui de caelo descendit; ecce uolumus esse tui. dicebant paulo; & ille.
 Nolo scis pauli. sed eius estote cuius est uobiscum paulus; Descendit enim &
 mortuus est. & ipsa morte liberauit a morte; morte occisus; mortem occidit;
 & nostis fr̄i. quia mors ista per diaboli inuidiam intrauit in mundum; dñs mor
 tem non fecit. Scriptura loquitur. nec & atur inquit in perditione uiuorū.
 Creauit enim ut essent omnia; sed quid ibi ait. inuidia autem diaboli mors
 introiit in orbem terrarum; ad mortem a diabolo propinatam. non uenit &
 homo ui adductus; non enim cogendi potentiam diabolus habebat; sed per
 suadendi uersutiam; non consentiens. nihil inuexerat diabolus; Consensio
 tua o homo. te perduxit ad mortem; a mortali mortales nati. ex immortalib;
 mortales facti. Ab adam omnes homines mortales; Jhs autem filius dñi. uerbu
 dñi per quod facta sunt omnia. unicus æqualis patri mortalis factus est. quia
 uerbum caro factum est & habitauit in nobis; ergo mortem suscepit & morte
 suspendit in cruce. & de ipsa morte liberantur mortales; quod in figura
 factum est apud antiquos. commemorat illud dñs; Et sicut moyses inquit
 exaltauit serpentem in heremo. ita exaltari oportet & filium hominis. ut omnis
 qui credit in eum. non pereat sed habeat uitam æternam; Magnū sacramtū;
 & qui legerunt nouerunt. Deinde audiant uel qui non legerunt. uel qui for
 te lectum siue auditum obliu sunt; proster nebatur in heremo populus israhel
 morsibus serpentum. fiebat magna strages multorum mortuorū; plaga
 enim dñi erat corripientis & flagellantis ut erudir̄; Demonstratum est ibi
 magnum sacramentum rei futuræ; ipse dñs testatur in hac lectione. ut
 nemo possit aliud interpretari quam quod ipsa ueritas de se indicat; Dictū
 est enim ad moysen ad dño. ut faceret eum serpentem & exaltar̄ in lig
 no in heremo; & ad moneret populum israhel. ut si quis morsus esset a serpente.

mors uide

illum serpentem in ligno exaltatum adtenderet; factum est. mordebantur homines. intuebantur. sanabantur. Quid sunt serpentes mordentes. peccata de mortalitate carnis; quis est serpens exaltatus. mors dñi in cruce; quia enim a serpente mors. per serpentis effigiem figurata est; morsus serpentis localis. mors dñi uitalis; Adtenditur serpens. ut nihil ualeat serpens; quid est hoc. Adtenditur mors. ut nihil ualeat mors; sed cuius mors. mors uitae; si dici potest mors uitae. immo quia dici potest. mirabiliter dicitur; sed numquid non erit dicendum quod fuit faciendum. ego dubitem dicere. quod dñs pro me dignatus est facere. Nonne uita xpi. & tamen mortuus xpi. Sed in morte xpi mors mortua est. quia uita mortua occidit mortem; plenitudo uitae deglutiuit mortem. Absorta est mors in xpi corpore; Sic & nos dicemus in resurrectione. quando iam triumphantes cantabimus; ubi est mors aculeus tuus. ubi est mors intentio tua. Interim modo fr̄s ut a peccato sanemur. xpm crucifixum intueamur; quia sicut moyses inquit exaltauit serpentem in heremo. sic exaltari oportet filium hominis. — ut omnis qui credit in eum. non pereat. sed habeat uitam aeternam; quomodo qui intuebantur illum serpentem. non periebant morsibus serpentum. sic qui intuentur fide mortem xpi. sanantur a morsibus peccatorum; sed illi sanabantur a morte ad uitam temporalem. hic autem ait. ut habeant uitam aeternam; hoc enim inter est inter figuratam imaginem. & rem ipsam; figura praestabat uitam temporalem. res ipsa cuius illa figura erat. praestat uitam aeternam;

Non enim misit dñs filium suum in mundum ut iudicet mundum. sed ut saluet mundum per ipsum; ergo quantum in medico est. sanare uenit aegrotum; Ipse se interimit. qui praecepta medici obseruare non uult; uenit saluator ad mundum; quare saluator dicitur est mundi. nisi ut saluet mundum. non ut iudicet mundum? Saluari non uis ab ipso. ex te iudicaberis. & quid dicam iudicaberis; uide quid ait. Qui credit in eum. non iudicatur; qui autem non credit. quid diciturum putas. nisi iudicatur. Jam inquit iudicatus est; nondum apparuit iudicium; sed iam factum est iudicium; nouit enim dñs quis sunt eius; nouit qui permaneat ad coronam. qui permaneat ad flammam; nouit in area sua triticum. nouit paleam. nouit seggem. nouit zizania; iam iudicatus est qui non credit; quare iudicatus. Quia non credidit in nomine unigeniti filii dñi; hoc est autem iudicium. quia lux uenit in mundum. & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. erant enim mala opera eorum; fr̄s mei u quorum opera bona inuenit dñs. nullorum; Omnia mala opera inuenit; quomodo ergo quidam fecerunt ueritatem & uenerunt ad lucem. & hoc enim sequitur. Qui autem facit ueritatem. uenit ad lucem ut manifestentur opera eius. quia in dō sunt facta; quomodo quidam bonum opus fecerunt

Sicut moyses
exaltauit serpe-
tem

Et tamen in cruce xpi
nonne uita xpi.

quid addit.

ut uenirent ad lucem id est ad xpm. & quomodo quidam dilexerunt tenebras.
 si enim omnes peccatores inuenit. & omnes a peccato sanat. & serpens ille in quo
 figurata est mors dñi, eos sanat qui morsu fuerant. & propter morsum serpentis
 erectus est serpens id est mors dñi propter mortales homines quos inuenit inuis
 tos. quomodo intellegatur hoc est iudicium qm lux uenit in mundum. & dilexe
 runt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim mala opera eorum. quid
 est hoc. quorum enim erant bona opera. nonne uenisti ut iustifices impios. sed
 dilexerunt inquit tenebras magis quam lucem. ibi posuit uim. multi enim dile
 xerunt peccata sua. multi confessi sunt peccata sua. quia qui confitetur pecca
 ta sua & accusat peccata sua iam cum dō facit. Accusat dñs peccata tua. si & tu
 accusas. coniungeris dō. quasi duae res sunt. homo & peccator. quod audis homo.
 dñs fecit. quod audis peccator. ipse homo fecit. Dele quod fecisti. ut dñs saluet
 quod fecit. O porta ut oderis in te opus tuum. & amet in te opus dñi. Cum autem
 coeperit tibi displicere quod fecisti. inde incipiunt bona opera tua. quia accusas
 mala opera tua. Initium operum bonorum. confessio est operum malorum.
 facis ueritatem. & uenis ad lucem. quid est facis ueritatem. non te palpas. non
 tibi blandiris. non te adulas. non dicis. iustus sum cum sis iniquus. & incipis facere
 ueritatem. uenis autem ad lucem ut manifestentur opera tua quia in dō sunt
 facta. quia & in hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum. non tibi displi
 ceret. nisi dñs tibi luceret. & eius ueritas tibi ostenderet. sed qui & ammonitus
 diligit peccata sua. odit ammonentem lucem & fugit eam. ut non arguantur
 opera eius mala quae diligit. qui autem facit ueritatem. accusat in se mala sua.
 non sibi parcat. non sibi ignoscit ut dñs ignoscit. quia quod uult ut dñs ignoscit
 ipse agnoscit. & uenit ad lucem. cui gratias agit quod illi quid in se odisset. osten
 dert. dicit dō. auerte faciem tuam a peccatis meis. & qua fronte dicit. nisi
 iterum dicit. qm facinus meum ego cognosco. & peccatum meum coram me ē
 semper. Sic ante te. quod non uis esse ante dñm. Si autem post te feceris pecca
 tum tuum. & corquet tibi illud dñs ante oculos tuos. & tunc corquet quando
 iam paenitentiae fructus nullus erit. Currite ne tenebrae uos comprehendat.
 fratres mei euigilate ad salutem uram. euigilate cum tempus est. nullus re
 tardetur a templo dñi. nullus retardetur ab opere dñi. nullus auocetur ab oratione
 continua. nullus a solita deuotione fraudetur. euigilate ergo cum dies est. lac
 dies. xps est dies. paratus est ignoscere. sed agnoscentibus. punire autem
 defendentes esse. & iustos se iactantes. & putantes se esse aliquid cum nihil sint.
 In dilectione autem eius & in misericordia eius qui ambulat. & iam liberatus
 ab illis. locis & grandibus peccatis. qualia sunt facinora. homicidia. furta.
 adulteria. propter illa quae minuta uidentur ee peccata lingue aut cogitatio
 nū.

aut inmoderationis in rebus concessis, facit ueritatem confessionis, & uenit ad lucem in operibus bonis; quoniam minuta peccata plura si neglegantur occidunt; minutae sunt guttae quae flumina implent! minuta sunt grana harenae, sed simulta haec inponatur, premit atque obprimit, hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus intruens; paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando & non exhauriendo mergit nauem; quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo. Inter autem huius saeculi molestum est, plenum est temptationibus; in rebus prosperis ne extollat! in rebus aduersis ne frangat; qui tibi dedit felicitatem huius saeculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursumque, quae flagellat in isto saeculo, ad emendationem non ad damnationem facit; ferto patrem erudientem, ne sentias iudicem punientem; haec cotidie dicimus uobis, & sepe dicenda sunt, quia bona & salutaria sunt, EXPLICIT TRACTATUS XII.

INCIPIT XIII. AB EO QUOD SCRIPTUM EST. POST HAEC UENIT IHS ET DISCIPULI EIUS IN IUDAEA TERRAM ET ILLUC DEMORABATUR CUM EIS ET BAPTIZABAT. USQUE. QUI HABET SPONSAM SPONSUS EST. AMICUS AUTEM SPONSI QUI STAT ET AUDIT EUM GAUDIO GAUDET PROPTER UOCEM SPONSI.

Ordo lectionis euangelicae secundum iohannem, sicut potestis meminisse qui curam geritis pro uectus uestri, ita sequitur ut haec quae modo lecta est, hodie nobis tractanda proponatur, ab ipso principio usque, ad hodiernam lectionem quae supra dicta sunt meministis iam esse tractata; & si forte inde multa estis obliti, certe uel officium nostrum mandet in uestra memoria quae hinc audieritis de baptismo iohannis; & si non tenetis omnia, audisse uos tamen credo quod teneatis quae dicta sunt, & iam quare spiritus sanctus in columbae specie apparuit, & quomodo illa nodosissima quaestio soluta sit, quia nescio quid quod non nouerat, didicit iohannes in domino per columbam cum eum iam nouisset, quando uenienti ut baptizaretur ait, ego te deo deo baptizari & tu uenis ad me, quando ei dominus respondit, sine modo ut impleatur omnis iustitia; nunc ergo ad eundem iohannem cogit nos ordo lectionis reuertit; ipse est ille qui prophetaus est per esaiam, uox clamantis in deserto, parate uiam domino, rectas facite semitas eius; tale testimonium reddidit domino suo, & quia ille dignatus est amico suo, dominusque, ipsius & amicus ipsius, perhibuit & ipse testimonium iohanni; dixit enim de iohanne, In natis mulierum nemo exsurrexit maior iohanne baptista, sed quia se illi praeposuit in hoc quod plus erat iohanne, dominus erat; qui autem minor est inquit in regno caelorum, maior illo est; minor natiuitate, maior potestate, maior diuinitate, maiestate, claritate, tamquam